



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque
Ecclesiæ Præcepta**

Tamburini, Tommaso

Dilingæ, 1697

Capvt V. De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentem in ipsa Confessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032

difficile mihi apparet, quòd dicit Escobar in *Theolog. moral. lib. 43. cap. 3. num. 16.* excommunicationem ipso facto omittentibus Confessionem annuam ferè in omnibus Diocæsibus esse impositam.

CAPUT V.

De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentem in ipsa Confessione.

Qualis debet esse Confessio?

1. **Q**ualitates, & conditiones sive ex congruentia, sive ex necessitate à Confessione Sacramentali requisitæ, fuerunt unitim ab antiquioribus his versibus collectæ.

Sit Simplex, Humilis, Confessio Pura, Fidelis,

Atque, Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda.

Integra, Secreta, & Lacrymabilis, accelerata;

Fortis, & accusans, & se parere parata.

2. Singulas has qualitates, si nos suis necessarijs considerationibus illustrabimus, certe totam ferè de Confessione tractationem comprehendemus.

CAPUT VI.

Simplex.

1. **H**æc conditio significat, Pœnitentem debere sua peccata con-

fessori patefacere, clarè, distinctè, & ablatis circumstantijs ad confessionem non pertinentibus (in quo mulierculæ errare per sæpè solent;) item non sunt verba æquivoca usurpanda, quia ab hoc sacro tribunali ipsa pura veritas requiritur, quæ prolixis, & multò magis æquivocis narrationibus obscuratur.

2. Sed notandum est, hanc conditionem requiri ex congruentia, modò veritas peccatorum manifestetur; ita ut si advertenter cum ea æquivocatione, quæ pariat in mente confessorij non debitam notitiam peccatorum, deficeret Confessio in necessarijs, graviter peccaretur juxta infra distinctiùs afferenda.

CAPUT VII.

Humilis.

1. **D**ebet Confessio fieri ex congruentia flexis genibus, aperto capite, debitaque corporis compositione, nisi aliud infirmitas, vel causa rationalis persuadeat, idque est esse humilem confessionem.

2. Sed inquires, Quid si sine necessitate ulla sedens, vel stans, vel etiam jacens confessionem exhibeam?

3. Respondeo. Fore id peccatum veniale, putat Bonacina *disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 1. §. 2. num. 24.* sed nec esse veniale, (præciso contemptu, & scandalo) probabile puto; quia hoc non est, nisi defectus majoris devotionis.

4. Ad humilitatem hanc reducitur illud, ne fiat confessio cum jactantia pecc-